



C
507

16
A SOLA VERBORVM CONVENIENTIA
AD IPSAM RERVM CONSENSIONEM
STOICOS CODICI SACRO CONCILIATVRIS
NON ESSE ARGVMENTANDVM

EVINCIT

ET
REI SACRAE, CIVILIS, LITTERARIAE

IN

VRBE NOSTRA MISENA
AMPLIFICATORES ET PATRONOS

AC

QVOTQVOT MVSAS MANSVETIORES IN DELICHS
HABENT

AD

ORATIONES D. XVIII IVN. AO. MDCCXLVIII
PVBLICE HABENDAS

H. L. Q. C.

OBSERVANTISSIME INVITAT

M. ANDREAS CHRISTIANVS CLEEMANNVS

RECTOR.

MISENAE

EX OFFICINA LOEVVIANA



Unquam sine indignatione eorum con-
namina ferre potuerunt christiani
Philosophi, qui speciosa illa Senecæ,
Antonini, Epicteti aliorumque Stoi-
corum præcepta eo potissimum no-
mine posteritati commendarunt,
quod ærtissima ubique Stoicæ ac
christianæ doctrinæ reperiatur con-
sensus, nec ulla unquam philosophica veterum secta propius
accessit divinis sanctissimi Sospitatoris oraculis. Quam
mirabilem convenientiam, ut eo luculentius monstrent, in-
numera fere ex stoicorum scriptis colligunt effata iisdem
plane codicis sacri verbis expressa, ac quantopere sanctiori
doctrinæ respondeant, temere satis inde argumentantur.
Egerunt id non multi tantum ex antiquis sacrorum christia-
norum præsulibus, Pantæus maxime ejusdemque præcla-
rissimus discipulus a) Clemens Alexandrinus sed recentiori
etiam ætate b) Lipsius, c) Huetius, d) Omeisius, e) Siberus

- ac
- a) De quo Lipsius in *Manuduct. ad stoic. phil. L. II. diss. XVII.*
p. m. 763. Hic ipse, inquit, quam sæpe est stoicus, & dogma-
ta eorum sacris nostris aptat. Idem Caveus contra Dod-
wellum de Pantæno fusius probat v. ejus *Hist. Litt. p. 59.*
 - b) In *Manud. ad phil. stoic.*
 - c) *Quæst. Alnet. L. II. c. 3.*
 - d) In *Diss. qua stoicorum philosophiam moralem sobriam eo-
rumque placita cum christianismo convenientia ostendit.*
Aldorff. 1699.
 - e) In *Libr. Seneca divinis oraculis consonans.*

ac præter auctorem f) Senecæ christiani quam plurimi, ex quorum scriptis simul, quam male iis studium hoc conciliatio nis nimium cesserit, satis superque elucet. Quod si enim speciosa hæc stoicorum asserta profundius disquirimus, & ad ea reducimus principia, ex quibus derivata sunt & deducta, si non verborum sed rerum convenientiam, si denique veram, non autem, quæ videatur tantum, utriusque doctrinæ consonationem quærimus, nullum profecto invenitur, quod Christo cum Seneca aliisque stoicis intercedat commercium. Id quod data occasione, paucis usque luculentissimis exemplis in posterum erimus demonstraturi. Ut vero asserti hujus veritas eo melius constet, rationes quædam nunc nobis erunt præmittendæ, quibus rite expensis, propositum hoc eo felicius aliquando exequamur.

In primis notandum hic est, plerosque veterum philosophorum eodem haud raro sermone iisdemque loquendi rationibus esse usos, quanquam diversas plane secuti sint familias. Ecquis est, qui singularia multarum vocum nesciat facta, quibus vel exacto quovis sæculo nova potestas novaque sententia subiecta est? Quoties in profanorum philosophorum monumentis prostant verba in christiana republica dudum recepta ac pervulgata, quorum tamen longe alia hic virtus est ac significatio, ita ut, qui specie hac decipiuntur, g) pessima sæpe doctrinarum portenta sanctis atque præclaris verbis venditent nubemque pro Junone amplectantur. Disputant multa de anima humana ejusque immortalitate

A 2

Py-

f) Prodiit Dresdæ Anno 1673.

g) v. D. Schrœeri Diss. de verbis orthodoxis, quorum sensus est heterodoxus Witteb. 1735.

Pythagorei, Platonici & Stoici. Superbit Zenonis schola singulari h) Spiritus Sancti praesidio ac ope; nec desunt Spinozae, quae de summo numine eleganter doceat. Ast quis est tam stolidus, quominus ex diversis horum hominum principiis conjiciat, omnia haec longe aliter esse accipienda, ac si a christianis essent exposita. Varia, quae huc pertinent, collegit i) Clericus, qui argumenti loco, voces *λόγος, πνεῦμα, πρῶτος, ὁμοίσις* & alia affert. Etenim licet multa cum circumspeditione legendus sit eo in capite criticae artis suae, mirifice tamen id, quod hic volumus corroborat.

Ex omnibus vero, quotquot Graecia unquam Latiumque tulit, philosophis nulli magis a nativa & genuina verborum significatione recesserunt, sermonisque neglexerunt proprietatem Zenonis sectatoribus. Cujus rei plurimae afferri possunt rationes. Primum enim nunquam defuerunt, qui, stolicos non tam ex ingenio suo quam ex aliorum scriptis sua depromissem, & ut novitatis specie alios fallerent, verbis alia substituisse sensa, malecule assererent. Lepide hinc k) Cicero vocat Zenonem non tam rerum quam novorum verborum inventorem, qui translatis ac phaleratis ubique uteretur verbis & l) alio loco ejusdem scholae amplificatores verborum ignobiles opifices. Pari consilio ex porticu nugarum mercatores, verborum arbitros ac censores prodiisse, false clamitat

h) v. Lips. l. c. nec non Clericum in Arte Crit. P. II. §. I. p. 302. quibus addi potest M. Greenii fautoris & amici nostri sched. de Spiritu Sancto Veterum.

i) l. c.

k) L. III. de finibus.

l) Tusc. Quaest. L. V.

tad apud m) Athenæum comicus. Sic quæ alii bona fortuna
 næ, Zeno cum suis maluit nominare *producta* quæ alii mala
 ejusdem generis, *hic rejectanea*, & talia quam plurima.
 Quam miram verborum innovationem an n) Lipsius suffici-
 enter excusaverit, aliorum relinquimus iudicio. Deinde
 etiã factu quodam disputandiqve insana cupiditate elati
 multa verba eo torserunt stoici, ut aliis & o) Epicuro potissi-
 mum eo majori veritatis specie obniti ac obluetari possent.
 Quemadmodum enim Epicurus maximopere studebat per-
 spicuitati sermonisqve proprietati: ita stoici his contrarii
 consulto sæpe incertas vagasqve ac spinosas adhibebant vo-
 ces, quibus larvam hanc inde sapienter detraxisse p) Epicu-
 rum omnis fere loquitur antiquitas.

Auxit hanc sermonis ambiguitatem nimium illud stoico-
 rum studium, quo fabulas veterum philosophicis confirma-
 runt argumentis easqve ad naturæ arcana collustranda appli-
 caverunt. Qua re utiqve factum est, ut, quæ veteres com-
 mentis suis fingendiqve licentia usi, miris translationibus te-
 nebrisqve involuerunt, in quaslibet traxerint partes ac sen-
 ten-

A 3

m) L. XIII. ubi eos vocat *ἐμπόρας λήγες*.

n) L. I. Manud. ad Phil. Stoic. Diff. XIV. p. 759.

o) Multi jam observarunt, tantum non distare stoicorum do-
 ctrinas ab Epicuri principiis, quantum videri queat ob per-
 petuas inter hos actas altercationes, sed consulto sæpe ca-
 ptasse verba Zenonem. Id quod eorum *λογος χίρι* testan-
 tur v. Obser. Hall. T. III. Obs. XIV. p. 261. itemqve Cic. de
 finibus L. IV.

p) v. Bruckeri Hist. Phil. P. II. L. II. CXIII. 1247.

rentias. Id de Clenathe non solum diserte testatur q) Cicero, qui Archæologias eodem fine conscripsit, sed Zeno ipse nobis hic esse potest r) argumento, de cuius in Θεογονίαν commentariis idem s) Tullius noster: Tollere inquit, eum omnino usitatas præceptasque cognitiones Deorum, neque quenquam, qui appellatur DEUS, in eorum numero habere sed rebus inanimis atque mutis per quandam significationem hæc docere tributa nomina. Cum postea Christi doctrina altas ageret radices & profanarum gentium commenta de Diis per μυθολογίας exposita ubique exploderentur, stoici omnem pergebant navare operam, ut ἀληγορίας beneficio ex iis philosophicum sensum elicerent atque ita sanio-rem significationem subjicerent verbis, uti t) Phurnutum in libro de natura Deorum & Salustium in scripto de Diis & mundo fecisse inter omnes constat. Accidit hinc Stoicis sua veterum fabulis anxie reconciliantibus, quod accidere iis necesse est, qui cum Lipsio, Sibero, aliisque in Senecæ verbis Christi oracula saluberrimasque quæerunt, & quod mireris, inveniunt, veritates.

Quantopere porro fallantur, qui in speciosa stoicorum verba jurare solent, ex ipsa eorum quoque ratione doctrinas suas παραδόξως proponendi colligitur. Quid enim hæc mi-

12

q) De Nat. D. L. III.

r) v. Menag. ad Laert. in vit. Zen.

s) de N. D. L. I. Idem l. c. Chrysippum dicit Orphei Hesiodi aliorumque fabulas ad ea accommodasse, quæ ipse de Diis immortalibus dixerat, ut etiam veterrimi poetæ, qui hæc ne suspicati quidem sunt, stoici fuisse videantur.

t) v. Th. Galei Opuscula Mythol. ubi uterque libellus extat. nec non Tempe Helv. T. III. p. 274.

rabilia eorum effata aliud in se continent, quam levia ple-
rumque & latis trita asserta, quæ, quoniam ejusmodi verbis
exprimebantur, quibus arrogantia horum hominum pere-
grinam & inusitatam significationem ac vim tribuerat, non
poterant non auditu esse mirabilia magna atque superba.
Exempli causa addicimus virum sapientem ex sententia sto-
icorum vel inter tormenta u) felicissimum, ubi confestim
evanescit omne acumen, si felicitatis nomine nihil aliud ab
iis expressum esse sciamus, nisi quod mens ejus his haud mo-
veatur. Quantum itaque detrahatur majestati horum de-
cretorum, si intueatis his oculis decipere nos haud patia-
mur, neque eorum sententias communi & usitata verborum
significatione æstimemus, sed potius ampullatis his verbis re-
lictis, ad lubrica eorum descendamus principia, ex quibus
rectius cum x) Plutarcho argumentari poterimus, plurima
eorum dicta ad speciem quidem sublimia, revera autem ina-
nia ac vitiosa esse. Multo minus autem digna erunt, quæ
cum Christi sanctissimis oraculis conferantur. Referenda
huc sunt, quæ de his y) Cicero judicat, quando stoica parado-
xa reliquis a philosophorum decretis inanibus potius verbis
quam sententiis dissidere commonstrat: Ex iisdem, inquit,
verborum præstigiis & regna vobis nata sunt & imperia.

Qvæ

u) v. Cic. L. III. & V. de finibus & Sen. epist. LXVI.

x) De repugnant. Stoicor. T. III. p. m. n. & in L. τῶν διαφο-
ρῶν συγγραμμάτων stoicos, quos pudebat loqui cum vul-
go, inculat, quod omnes communes hominum evertant
notiones.

y) De finibus bon. & mal. L. IV.

Quæ omnia ita sunt comparata, ut facile appareat, oracula sacra Stoicis conciliaturo non tam ad convenientiam verborum quam rerum esse respiciendum, nec aliam eorum verbis tribuendam potestatem, nisi quam ex sectæ hujus principiis admittere possunt. Quemadmodum vero præclarissimus (2) Werenfelsius omnes eruditorum *λογομαχίας* ad duo reducit genera, quorum alterum est, ubi omnis in uno alterove verbo consistit dissensus, in re prorsus nullus, alterum vero, quod in longa verborum serie ac ipsis propositionibus aliorum falso intellectis perperamque explicatis quærendum est: ita e contrario stoicorum amici in hoc nimio reconciliationis negotio in devia ruunt his opposita. Etenim sive omnis stoicæ atque christianæ disciplinæ consensus, quem tantopere crepant, in uno alteroque verbo quæritur, cui christianam substituunt significationem ex suo arbitrio, nec ullis sectæ hujus principiis confirmatam, sive etiam judicia propositiones ac totam verborum seriem extra nexum ac coherentiam doctrinæ stoicæ considerant tanquam christiana oracula, citraque principia, ex quibus fluunt, interpretantur. Quid itaque mirum eos in summam rapi admirationem, si Senecam præclare de DEO, providentia ejus, Spiritu Sancto, si a) Antoninum de civitate DEI cœlesti, de filiis DEI ac civibus supernæ civitatis, si b) Epictetum de communione piorum cum DEO deque gratia DEI ac ejus reliquis proprietatibus, si denique Manilium aliosque alia audiunt differentes, quum singula hæc verba inversione mira ita accipiunt, ac si

a Chri

2) Diff. de Logom. Erud. C. III. §. 2. 6.

a) L. IV. §. 3.

b) L. I. c. 9.

a Christo ejusque legatis essent prolata. Enixe quidem magnus ille c) Lipsius evincere annititur, in plurimis saltem maximamque partem eadem exprimere has voces in christianis æque ac stoicis scriptis. Ast non sufficit profecto, ut præclare monet d) Werenfelsius, in quibusdam, in multis, inque plerisque convenient significationes; necesse est, ut in omnibus minutissimis accuratissime concordent. Si vel levissimum significationi additur demiturque, jam alia res est, aliud proinde judicium de ea ferendum. Consentire enim, quid aliud est, quam idem de re eadem sentire. Quum vero hic res longe diversissimæ, scilicet sanctissimæ Christi veritates atrocissimique errores porticus iisdem verbis involvuntur: videntur omnino consentire ob hanc verborum convenientiam, qui tantum distant, quatum a terra cœlum distare credimus. Quod si itaque admittenda unquam est, e) Chrysippi illius

B

sto-

c) Referta est tota Lipsii Manuductio illa tot stoicorum laudibus, ut an religiosius de ipso sacro codice dici possit, dubitandum sit. Unicum modo offeram locum ex Diss. XVI. L. II. Manud. p. m. 779. Postquam enim Senecæ & Epicteti exposuit dicta, quibus DEUM sequi monemur, eaque Mosis narrationi de creatione comparavit, demum exclamat: *O in cœlo nata atque illinc profecta verba! O! ego tecum, Epictete, afficiar, Divine Senecio! nec sine motu animi hæc tam perfectæ sapientiæ lego* Sunt tamen & loca alia in quibus retractare quasi voluit easdem laudes Lipsius. Sic in Epist. XCVII. cent. 1. Lævino Torrentio pollicetur multorum correctionem ac justo nimis se extulisse stoicos haud sub obscure fatetur.

d) L. c. C. V. §. 3. p. 125.

e) Id in libro περι ἀμφιβολῶν uberius eum exposuisse vult Laertius L. VII. in Chrysippo.

stoici sententia, nullum fere verbum esse, quod non sit ambiguum: in explicandis certe sectæ suæ decretis magnificis locum invenire videtur.

Nec aliter de sententiis totaque enunciationum farragine sentiendum est, quas ex hac vocum ambiguitate deducunt stoici. Namque quid quælo usitatius est hisce philosophis quam ut ex principiis pessimis præclarissimas derivent doctrinas. Non idem subinde esse duo etiam cum faciant idem idemque loquantur ex trito illo proverbio satis notum est. Nullibi vero illius veritas magis elucescit, quam si stoici Christi amicis comparantur. Utrique venerantur summum numen idque sanctissimum, clementissimum, justissimumque. Utrique hunc f) sequi DEUM eumque imitari ac ejus mirabili providentia ingravescente calamitate se consolari quæerunt. Utrique demum verum DEI cultum non g) sacrificiorum oblatione sed animi pietate absolvi strenue assentunt. Ast quanta utriusque disciplinæ est dissensio, si ad fontes recedimus, ex quibus sua utriusque hausserunt, si diffisi speciosis Senecæ verbis harum enunciationum nexum cum suis principiis, dijudicamus, si denique argumenta & rationes expendimus, quibus ad hæc exequenda egregia officia se suosque flectunt Stoici. Quæ omnia si veterum multi expendissent, his vocum lenociniis in gravissimos non abducti essent errores, nec respublica christiana olim h) Marcionitarum,

f) Antonin. l. V. §. 19.

g) v. Senec. l. de Benef. C. V. & VI.

h) Marcionis DEUM e stoicorum schola provenisse Tertullianus docet in l. de præscript. hæret. Quinimo in V. libris adversus Marcionem scriptis omnes ejusdem errores ex porticu derivat. v. Wolffii Manichæismum ante Manichæos. p. m. 57. Edit. Hambur.

rum, Novatianorum, Manichæorum aliorumque portentis ex stoicorum schola derivandis ita esset vexata, ut Tertulliano jam de i) christianismo temporis sui stoico esset conquere-
rendum. Hac enim ventosa & enormi loquacitate decepti sæpius sunt vel acerrimi civitatis CHRISTI patres, ut nescio quo vinculo porticum Salamonis atque Zenonis conjunctam esse censerent. Ipse magnus ille k) Hieronymus, qui tot argu-
mentis stoicos refellere satagit, haud dubitat aliquo loco iis patrocinari, cum: *Stoici, inquit, nostro dogmati in plerisque concordant.*

Diffimulandum vero non est, Stoicos post CHRISTUM natum, cum magis magisque invalescerent cœlestes veritates, multis de rebus mitius sensisse multasque christianorum formulas in utrum suum convertisse, ita ut fluentis hisce arva sua irrigasse videantur. Præclare id evincit doctissimus l) Bruckerus fato stoico, de quo tam lepide posteriores loquebantur, ut de providentia divina vix religiosius verba facere queant homines christiani. Quum enim viderent christianam disciplinam ubique tanquam sanctissimam coli, sobrie parcusque multis de rebus sunt philosophati, pessimaque sua dogmata novo ac specioso habitu exornarunt, ut fallaci hac doctrinarum facie externa alios eo felicius deciperent & ad sua reducerent castra. Quæ cum ita sunt, necesse omnino est stoicos CHRISTO conciliaturo, ut temporum habeat rationem nec cum Zenonis discipulis confundat illos, qui fraudulenta

i) v. ejusdem libr. de præscript. p. 233. Ed. Rigalt.

k) Comment. in Esai. C. X. T. V. f. m. 120.

l) v. Hist. phil. T. II. P. II. L. II. C. IX. p. 910.

ratione & externa vocum accommodatione sua tegere Christi-
stique amicis propius accedere videntur. Id quod eo magis
est necessarium, quod eruditi viri dudum observarunt in di-
versa sæpius abire stoicos, nec ubique eadem sequi principia.

Excussis vero & ad stoicorum principia examinatis Sene-
cæ Antonini aliorumque sententiis, allaborandam etiam est,
ne nimio hoc reconciliationis studio abrepti ipsis Sacrarum
litterarum oraculis vim inferamus, ac quævis stoica iis attem-
perando iniqua verborum inversione longe alia ac valent,
adtingamus. Tanto majori provisione illud agendum est,
quanto certius est ac clarius, sæpius in sacris litteris proflare
verba, quibus viri Θεόπνευστοι longe aliam surrogarunt vim &
significationem ac profani scriptores. Cum enim Sanctissi-
mi hi viri de ejusmodi agerent rebus, quæ profanis philoso-
phis ignotæ erant: non potuerunt non quin novis rebus,
ut m) Ciceronis utar verbis, nova etiam ponerent nomina,
novamque saltem vim ac significationem verbis subjicerent
his barbaris ignoratam & sacris litteris quasi propriam.
Distribuit potissimum Joannes Vorstius inde has sacras ac
singulares vocum significationes in classes quasdam in Philo-
logia sacra, itemque n) Leusdenius doctissimus qui omnino
hic consulendi sunt. Fuit sane ea semper plurimorum pesti-
ma consuetudo, ut, si quando ob periculosa ac teterrima præ-
cepta sint lacesiti, in ipsis sacrarum litterarum monumentis
desperatæ tuæ causæ quarant præsidia mirabilemque cum iis
singant consensionem. Egerunt id non tantum omnes a ve-
ri-

m) v. ejus L. de nat. Deor. L. I. c. 17.

n) In Philol. Ebr. diss. XII. & XII.

ritate Christiana alieni & profani homines, sed ipsi ex philo-
 sophis callidissimi. Quia in re ut eo felicius proficiant, novas
 crebro excogitarunt interpretandi leges, captui videlicet
 vulgi sese accommodasse non nunquam summum Numen,
 & quæ alia sunt a viris doctis castigata o) ἑρμηνείας principia.
 Mirandum inde non est, sanctissimis divinoque afflatu conci-
 tatis Scriptoribus ejusmodi lensa esse adfecta, ut modo ex
 Aristotelis, modo ex Platonis, modo ex Cartesii & aliorum
 Icholis prodiisse videantur. Id saltem certum est, nunquam
 Platonicos p) tanti fecisse sanctissimi Joannis scripta, si voci
 τῷ λόγῳ cum eo eandem substituissent significationem.

Quæ cum ita sunt, nostrarum omnino est partium, ut ante
 omnia de vera & principe vocum in sacris litteris occurren-
 tium acceptione sumus solliciti, nec ea loca sacra in stoicæ
 sectæ partes detorqueamus, quæ dubia adhuc sunt intellectu-
 que difficilia, ut porro disquiratur, quo consilio, quo affectu
 sint exposita, ut quo valeant & spectent & quænam sint illa
 fundamenta, per noscamus, quibus Stoicæ & christianæ disci-
 plinæ consensio toties intentata innitatur. Quibus neglectis,
 nihil est, quod ullam eorum habeamus rationem, qui, necio
 quid divini in Stoicis demirantur.

Et quid plura! vel ipsum vitæ genus, mores & instituta
 plurimorum stoicorum haud subobscurè arguunt, quantum

B 3

in-

o) v. Isaac Jaquvelot de conform. fidei & ration. part. II. c. XI
 ac Rambachii Inst. Hermin. L. III. c. IV. p. 480.

p) Ipse Augustinus refert Platonicum quendam statuisse, initi-
 um Evangelii Joannis aureis litteris esse describendum ac
 in templis asservandum in libr. de civit. DEI L. X. c. 29.

inter sacri codicis oracula & Senecæ decreta interfit. Rectius itaque sibi suisque rebus consulere, si qui speciosa horum hominum dogmata sunt explicaturi q) ad Cynicorum respicerent principia, ex quibus quanta quanta etiam est, stoicæ sectæ conflata erat auctoritas atque magniloquentia.

q) v. Vossium de sectis Philos. CXI. §. 3. qui ex Laertii Libr. VI. T. 104. aliisque locis luculenter id evincit.

Quæ dum scribimus, recordamur jure nostro instituti, quo Juvenes quosdam ornatissimos in publicum dicendi producimus locum ingenii sui specimina edituros. Scilicet uti nostrum semper fuit, quo disciplinæ nostræ conceditos ita instruamus, ut quantum intersit inter cœlestem sapientiam ac veterum philosophorum vaniloquentiam ac superstitionem, rectius noscant: ita hac cognitione haud leviter imbuti in palæstram procedunt nostri se suaque omnia Fautoribus commendantes. Quorum primus

JO. CHRISTOPH. KAYSERVS,

Hæffgen. Misn.

complures annos institutione nostra usus pietate, morum elegantia atque ingenuarum artium cultura tantam sibi omnium conciliavit gratiam, ut jam auspicato ad sanctioris doctrinæ studia Lipsiæ prosequenda, dimitti a nobis multa cum laude queat. His itaque adminiculis præmunitus Scholæ nostræ ultimum dicet vale carmine germanico, præmissa oratione latina de callidis quibusdam artibus, quibus quondam famam atque vires suas confirmarunt Romani. Cui pro more

JO.

JOANNES ANDREAS VOGTLAENDERVS;

Hohenbussen Mifn.

Felicem precabitur abitum carmine, vernacula lingua
conscripto, verba faciens de Apotheosi veterum singulari
inclarescendi remedio. Sequetur

JO. GODOFREDVS KRETZSCHMARVS;

Wehlen Mifn.

Oratione latina expositurus perversa ac callida admini-
cula, quibus inclaruit Pythagoras. Et tandem

JO. GEORGIUS VOGTLAENDERVS,

Hohenbussen Mifn.

Aget de fecta Juliani Imperat. magnitudine & gloria Ora-
tionis prosa germanica.

Quos Juvenes nostros auditum ut convenient hora
ante meridiem IX. frequentes Fautores ac litterarum Pa-
troni, pie enixeque precamur. Dabam e Franciscaneo
Mitenenti die. 15. AO. MDCCXLVIII.



JOHANNES ADRIANUS VON LINDENBACH

Philosophiae Doctor, Mathematicae Professor, etc.

JOHANNES ADRIANUS VON LINDENBACH

Philosophiae Doctor, Mathematicae Professor, etc.

JOHANNES ADRIANUS VON LINDENBACH

Philosophiae Doctor, Mathematicae Professor, etc.



JOHANNES ADRIANUS VON LINDENBACH

Philosophiae Doctor, Mathematicae Professor, etc.

1711

Hinweise

| | | |
|----------------------|------------|---------------|
| Signatur 3 A 5539 | | Stok f |
| RS | Bub | AK f |
| | Titelaufn. | AKB f 2351 |

FK
 Hauptwerk: 1 Hornil. gez. De. 25,5
 Angeb. 1: 1 " gez. De.
 " 2: 1 Sachau Ja 11.6.
 " 3: 1 Hornil gez. De.

Bio K Bild K < Foto n. Blatt ! >
 Hauptwerk
 angeb. 1
 angeb. 2 2x
 angeb. 3 3x
 angeb. 5
 SWK
 angeb. 6
 angeb. 27
 } ext.
 4.10.79 ge

| | | |
|----------------|--------|------------------|
| Sonderstandort | Signum | Ausleihervermerk |
| | | |

III/9/280 Id-G 54/60

